



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ivre Ac Potestate Romanorum Pontificum,
Imperatorum, Regum ac Episcoporum**

Alvarez Guerrero, Alfonso

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 A 2069

De Vicario sanctissimorum Episcoporum, & Episcopali præstantia. cap.
xxvii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63477)

canonizatione sanctorum. vid. tractatum Maluerij in volum. ix. tractatum, fol. 126.

Item reductio ad arbitrium boni viri à laudo dato per dictos arbitros, quorum vnus sit clericus, alter laicus, debet peti coram Episcopo. ita Bald. in l. precipimus. C. de appel. & Lanfrancus in tract. de arbitro. 7. par. q. xliij. Idem & quando laudum est iuratum, notatur in c. cum laicus, de for. compet. in vj. Item si laudum sit latum super matrimonio, vel alia re spirituali. ita docto, in c. quinta vallis, de iurreiuran. Sed clericus executor testamenti debet inventarium facere coram iudice laico, ita Ang. in l. j. §. hæc stipulatio, ff. si cui plusquam per l. falci. xiiij. col.

DE VICARIO SANCTISSIMORVM

Episcoporum, & Episcopali præstantia.

Cap. XXVII.

S V M M A R I V M.

- 1 Vicarius Episcopi dicitur ordinarius, & an cognoscat de causa Episcopo delegata, & e contra.
- 2 Beneficia ecclesiastica à Vicario generali Episcopi conferri videntur possunt, nisi habeat specialem commissionem.
- 3 Potestas Episcoporum magna est, quia sunt fundamenta sanctorum montium.
- 4 Prælati sunt successores Apostolorum. Item in vita contemplatiua, & actiua perfecti esse debent, præ cæteris etiam debent esse excellentes, quoad quatuor.

Episcopi Vicarius dicitur ordinarius, not. in c. ij. de consuet. lib. vj. & in c. perlectis, xxv. distinct. Sed non potest creare alterum vicarium. tenet Hostien. in c. clericus, de offi. vica. An autem vicarius Episcopi cognoscat de causa delegata Episcopo, & e contra, respondeo non. Vnde Episcopus nō cognoscit de causa delegata suo vicario sub nomine proprio, & dignitatis, vel proprio tantum; secus si sub nomine dignitatis tantum; quia cognoscit Episcopus vicario mortuo, vel remoto, vt per Inno. in c. eam te, de

de rescript. & in Spe. de delega. §. fin. vers. quid si causa. &
 3 Felin. in c. dilecti, de appell. † Sed vicarius generalis Episcopi non potest conferre ecclesiastica beneficia, nisi habeat specialem commissionem, c. cum in generali, de offi. vica. in vj. Potest tamen vicarius instituere presentatum a patrono ecclesie, c. ex frequentibus, & docto. post glof. ibi. de institutio. Sed non potest vicarius Episcopi esse iudex, sed potest esse assessor, vel consultor. ita Inno. & Imo. in c. decernimus, de iudi. Et vicarius Episcopi non succedit in legato facto suo predecessori sub nomine dignitatis. ita Bart. in l. quod Principi. ff. de lega. ij. Et vicarius Episcopi, & Archiepiscopi cognoscit de appellationibus interpositis ad Archiepiscopum, c. dilecti, & dilectis. & ibi docto. de appella. Et Episcopi, & vicarij Episcopi idem tribunal est, in c. ij. de consuet. lib. vj. Sed Episcopus potest causam vertentem coram suo vicario ad se aduocare. ita Philip. Fran. in c. vt nostrum, de appella. Et Christus dedit exemplum prelati ecclesie committendi ea, quae possunt fieri commode per inferiores, vt ipsi liberius possint in altioribus exerceri, vt Ioannes in c. iij. sui Euangelij. & Petrus, quia pluribus intentus esse non poterat, cum orationi, & praedicationi vacaret, duos Episcopos ordinauit, Euanum, & Cletum, qui sacerdotale ministerium Romano populo, & aduenis bene sentientibus exhiberent. ita Platina in historia Pontificum scribendo de vita Petri. Et finaliter dico, quod † magna est potestas Episcoporum, quia sunt fundamenta sanctorum montium, & petrae, supra quas sunt fundatae ecclesiae. Nam in signum huius non potest ecclesia fieri, nisi primo Episcopus crucem ibi signet, & primum lapidem ponat, vt in c. nemo, de consec. distinct. j. Itaque multae sunt prerogativae Episcoporum, vt in isto tractatu continentur. Sed aduertant Reuerendissimi Episcopi, quia de Apostolis, & Episcopis scriptum est: Vos estis sal terra, quod si sale uanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. † Et est considerandum, quod prelati sunt successores Apostolorum, & ideo debent esse perfecti in vita contemplatiua, & actiua. Et est ad-

uertendum, quòd praelati præ ceteris debent esse excellen-
 tes, quantum ad quatuor. Primum est discretio in agen-
 dis: quia sunt ductores & gubernatores aliorum. Et hoc
 designatur, cum dicitur; vos estis sal terræ: sicut enim sa-
 le condiuntur omnia cibaria, ita discretione praelatorum de-
 bent dirigi, & ordinari omnia opera subditorum. Secun-
 dum, in quo debent præcellere praelati, est clara notitia in
 scripturis intelligendis. Et hoc est, quod de illis dicitur:
 Vos estis lux mundi: Sicut enim lux est manifestatio om-
 nium occultorum, sic praelati per intelligētiam sacrae scri-
 pturae debent ex officio notificare alijs omnia opera virtu-
 tum. Tertium, in quo debent præcellere, est constantia in
 oppressoribus pauperum reprimendis. Vnde dicit Salua-
 tor, Ioan. x. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus
 suis; mercenarius autem, & qui non est pastor, videt lupum
 venientem, & dimittit oues, & fugit. Quartum, in quo de-
 bet praelatus excellere, est sanctitatis euidētia in exemplis
 dandis, quia tantum debet excellere actionem populi a-
 ctio pastoris, quantum distat à grege vita pastoris. Et glo-
 ria Episcopi est pauperum opibus providere, & ignomi-
 nia sacerdotis est proprijs studere diuitijs, c. gloria, xij. q.
 ij. & Episcopus debet esse talis, vt merito cum sanctissimo
 Iob dicere possit: Oculus fui caeco, & pedes claudō, pa-
 ter etiam eram pauperum.

DE INDVLGENTIIS SACRORVM

summorum Romanorum Pontificum.

Cap. XXVIII.

SUMMARIVM.

- 1 Indulgentia quid sit, vnde dicta, & per quem concedatur.
- 2 Papa in persona l. eiri apostoli, & vicarij Christi peccati poenā
 sine vlla exceptione licentiam habuit relaxandi.
- 3 Papa absque dubio particulares, & generales indulgentias con-
 cedere potest.
- 4 Episcopus electus confirmatus, & consecratus sine dubio pote-
 statem habet indulgentias concedendi.

§ Epi-